

nec gravius cedit. nunc horrida frigore surgit,
 nunc vacuum soli fulgentem deserit orbem:
 400 sic in utrumque movet mundum et contraria reddit.
 hanc qui surgentem, primo cum redditur ortu,
 montis ab excelso speculantur vertice Tauri,
 eventus frugum varios et tempora discunt,
 quaeque valetudo veniat, concordia quanta.
 405 bella facit pacemque refert, varieque revertens
 sic movet, ut vidit, mundum vultuque gubernat.
 magna fides hoc posse color cursusque micantis
 ignis ad os. vix sole minor, nisi quod procul haerens
 frigida caeruleo contorquet lumina vultu.
 410 cetera vincuntur specie, nec clarius astrum
 tinguitur oceano caelumque revisit ab undis.
 tum Procyon veloxque Lepus; tum nobilis Argo
 in caelum subducta mari, quod prima cucurrit,
 emeritum magnis mundum tenet ante periclis,
 415 servando dea facta deos. cui proximus Anguis
 squamea dispositis imitatur tegmina flammis;
 et Phoebus sacer ales et una gratus Iaccho
 Crater et duplici Centaurus imagine fulget,
 pars hominis, tergo pectus commissus equino.
 420 ipsius hinc mundo templum est, victrixque solutis
 Ara nitet sacris, vastos cum Terra Gigantas
 in caelum furibunda tulit. tum di quoque magnos
 quaesivere deos; eguit Iove Iuppiter ipse,
 quod poterat non posse timens, cum surgere terram
 425 cerneret, ut verti naturam crederet omnem,
 montibus atque altis aggestos crescere montes,
 et iam vicinos fugientia sidera colles
 arma importantis et rupta matre creatos,
 discordis vultum permixtaque corpora partus.
 430 nec di mortiferum sibi quemquam <aut> numina norant